



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XIV. De Clericis pugnantis in Duello.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

Principum &c. cum debitis cautelis, talique moderacione armorum, ut per se nullum sit gravioris læsionis vel cædis periculum, quo modo hodie fieri consueverunt.

Dico. Torneamenta prioris generis sunt graviter illicita, & de Jure Canonico habent pœnam in Homicidas statutam, & privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, si quis in loco torneamenti, licet pœnitens, occumberet. 2. Posterioris autem sunt licita. Pars prior constat tum ex Jure Naturali prohibente ob finem tam vanum periculo gravis læsionis vel necis se exponere, tum ex *l. un. C. de Gladiat. lib. 11. c. 1. 2. h. t.* Pars posterior tum ex *c. un. h. t. int. Extrav. Jo. XXII.* ubi revocatur constitutio Clementis V. qui ob immodicos sumptus, in torneamenta etiam cautè suscepta tunc expendi solitos, graviter illa prohibuit: tum ex eo; quia finis est honestus, nec modus periculum habet.

Idem tene de Agitatione taurorum, apud Hispanos maximè usitata, quando nempe homines cum tauris vel aliis bestiis in arenam descendunt & luctantur; nam S. Pius V. in speciali sanctione anno 1567. eam, si ex fine vano, & cum periculo gravi, suscipiatur, prohibuit sub pœnis in periculosa torneamenta statutis, non verò susceptam ex fine honesto & cum debitis cautelis.

## TITULUS XIV.

### *De Clericis pugnantis in Duello.*

#### SUMMARIUM.

1. *Quid, & quotuplex sit Duellum, præsertim*  
 Pars II. Rr tim

- tim quando licitum, aut illicitum fit.*
2. *An illicitum sit fictè susceptum, aut sine intentione mortis.*
  3. 4. *An susceptum ad declinandam ignominiam.*
  5. *An susceptum ad conservandum Officium.*
  6. *Quæ sint pœna illiciti Duelli.*

**D**uellum quasi duorum bellum, Græcè *Nomachia*, est singulare certamen inter duos (vel plures) ex condicto susceptum, vel accuratiùs: est certamen singulare ex privata causis, & ex condicto ab utraque parte deliberate ac sponte susceptum, designato tempore & loco, ad occisionem, mutilationem, aut gravia vulnera infligenda. Gobat. *tr. 7. Theol. Exp. casu 18. n. 572.* cum communi quoad sensum. Essentiale igitur duello est, ut pugna fiat ex condicto, seu ex conventionem per aliquod temporis intervallum præviâ, designatò non solum certò loco, sed etiam certò tempore, ad congregiendum cum armis ad occidendum, vel graviter vulnerandum cum periculo vitæ, per se aptis. Si nihil aliud interveniat, & nullæ solemnitates, est & dicitur *privatum*: si verò interveniat certa forma & ritus, puta, si adhibitis *patrinis*, seu, ut vocantur *secundantibus*, missis litteris provocatoriis, vulgè *Chartell* vel *chirothecâ*, aut datò annulo, & sub inde etiam locò securitatem præstante, quem vocant *campum francum*, constitutò, vocatur *solemnem*. Ulteriùs dividitur in *Licitum* & *Illicitum*.

*Licitum* est 1. quod assumitur ob bonum Reipublicæ, v. g. ad finiendum bellum, ejusve celebrationem.

De Clericis pugnantis &c. 627

mitates, vel ad parcendum sanguini, qui effunderetur, si totus exercitus dimicaret: hunc in finem duellavit David cum Goliath, & Carolus V. Imperator duellum obtulit Francisco I. Regi Galliarum &c. nemine improbante. 2. Quod ex necessitate assumitur ad defensionem vitæ vel bonorum; maximè ob defensionem honoris Divini, Religionis, Reipublicæ, ut si quis tibi intet mortem, incendium domûs &c. vel non desistat blasphemare Deum, persequi Rempublicam &c. nisi cum ipso duellum in eas. 3. Quod à Judice defertur duobus ad mortem condemnatis sub conditione, ut victor obtineat vitæ gratiam; licet Judex licitè vix deferat; cum talis delatio crudelitatis speciem habeat; & hæc duella, maximè quæ auctoritate publica fiunt, strictè duella non esse videantur.

*Illicitum* e contra est, quod offertur vel acceptatur ex fine superstitioso, vel vano, vel illicito, uti 1. Si suscipiatur ad manifestandam veritatem, innocentiam, objecti criminis purgationem, vel ad dubiæ litis decisionem, quo modo olim sæpius adhibebatur hæc purgationis vulgaris species, tentationem DEI involvens, dum nempe litigantes in Judicio confugiebant ad singulare certamen (sie gebrauchten das Faust-Recht) ea lege, ut succumbens perderet causam. 2. Si suscipiatur ad ostentationem virium, audaciæ, vel armorum peritiæ, aut ad oblectationem spectantium. 3. Si suscipiatur ad vindicandam injuriam ex odio, petulantia &c. Hujusmodi enim duella repugnant gravissimè omni Juri: *Naturali*, cum taliter duellantes contra Justitiam, & Charitatem

tum erga se tum erga proximum, vitam propriam & alienam, cujus dominium non habent, imò & salutem æternam, stolidissimè evidenti periculo objiciant: *Divino*, disertè prohibenti, non occides. *Exod. 20. Deuter. 5.* & solis Magistratibus flagitiosos occidendi potestatem indulgenti *Canonico c. 2. h. t.* ac Trident. *f. 25. c. 19. de re. ubi duella vocat detestabilem usum fabricatum diabolo introductum*: quibus consonant variorum Pontificum Bullæ, uti Julii II. Leonis X. Pii V. maximè Gregor. XIII. anno 1582. & Clem. VIII. 1592. qui ultimi duo extenderunt Tridentinum etiam ad duella privata, ubi *nulli patrini vocati, nec loci securitas habita, nullaque provocatorum littera, aut denuntiationis chartula, precesserunt.* Denique & *Civili in l. un. C. de diglad.* ubi Interpretes, & in sanctione Imperatoris Leopoldi I. cum consensu Statuum in Comitibus Ratisbonensibus congregatorum edita, ubi pœnam capitis statuit in eum, qui in duello alterum occiderit. *God. in Theol. Exper. to. 1. p. 1. tr. 7. n. 573. in Appendice Duellari.* Et hæc sunt certa. Dubium tamen movetur 1. De casu, quo duellum suscipitur fictè, aut sub conditione, ut uno vulnerato vel post certum ictuum numerum, cessetur. 2. De casu, quo provocatus acceptat duellum evitandam ignominiam. 3. De casu, quo duellum recusans non solum periclitatur de honore, sed etiam de officio amittendo.

2. Dico 1. Illicitum quoque est duellum, si sine animo vulnerandi susceptum: item si lege initum, ut uno vulnerato, vel post certum ictuum numerum, cessetur. Communis est opinio, quod non licet.

tionem, quia præbetur scandalum, & Clemens VIII. in *Constit. Illius vires 1592.* prohibuit duellam etiam non fataliam. Accedit in posteriori casu periculum fatalis vulneris, cum difficile sit ita moderari ictum per arma ad occidendum apta, & cum intentione vulnerandi adhibita, ut vulnus lethale non infligatur.

Dico 2. *Omni Jure, Naturali, Divino, & Humano illicitum quoque est acceptare* (multò magis offerre) duellum præcisè ob punctum honoris, seu ad declinandam ignominiam vel dedecus. Idem est, si quis ab altero injuriam passus est vel per verba ignominiosa, vel per alapam &c. si ad reparandum honorem offerat duellum. Ita iterum communis, & certa, cum Alexander VII. anno 1665. tanquam scandalosam & perniciosam prohibuit hanc propositionem ordine secundam: *vir equestris ad duellandum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*: cujus ulterior ratio est, quia acceptatio, vel oblatio duelli nec est remedium *necessarium* defendendi honoris, cum alia suppetant media, ut videbimus: *nec idoneum*, quia duellare, & sic non solum vitam propriam aut alienam (cujus dominium nemo habet, aut potestatem occidendi, nisi cui DEUS, vitæ ac necis dominus dederit) sed etiam æternam utriusque salutem evidenti periculo exponere, summa dementia ac insania est, summa injuria erga DEUM & Rempublicam, cum illi servus, huic civis iniquè eripiatur, atque summum crimen contra charitatem sui ipsius, & simul proximi: quid honoris acquiritur ex tali stoliditate & malitia detestanda? Bone DEUS! quomodo

modo duellum ob punctum honoris reparandi vel conservandi offerens vel acceptans aptè trobitur honorem? vel enim erit victus, vel victor? si victus, hoc ipsi utique gloriosum non erit, præsertim si in ipsa pugna decesserit; tunc enim velut notoriè in peccato mortali decedens, & tanquam præda diaboli, nec mortuus inter fideles tolerabitur, sepulturâ sacrâ perpetuò privandus instar bestia. Si victor, tanquã infamis & gravissimi sceleris reus, nempe homicidii & duelli tantopere prohibiti, in manus carnificis incidet, aut à suis sequestratus, officioque, siquod habuit, exutus, in alienas terras instar furis, prædonis &c. aufugens miserèque vivere, & vagari cogetur: quid inde habebit honoris, cum ne quidem conspectum honestorum hominum, quibus erat notus, subire audeat? Honor genuinus virtutis est præmium non comes vel soboles actionis stolidæ, injuriam ac omnibus Legibus prohibita.

- Obicies* I. Si provocatus non accepto duellum vel in honore læsus illud non offero, audiam timidus, ignavus, imbellis, censebor esse vilis & rejecti animi, è Nobilium & Militum societate excludar: Ich passier für kein ehrlichen Cavallier für kein rechtschaffenen Soldaten/ für kein vortreflichen Kerl / ich werd gehalten für ein lediges für eine H. 2c. ergo acceptare vel offerre duellum est remedium necessarium ad tuendum honorem; præsertim 2. cum nulla sufficiat protestatio qua assero, me duellum declinare non ex timore, sed ex reverentia erga Leges Humanas ac Divinas & Naturales, ac sæpe ad Superiorum

recurrere non liceat, vel ille imploratus efficaciter non succurrat. 3. Ad tuendam vitam, imò & res temporales, licitum est duellare: ergo etiam ad tuendum honorem, cum honor apud Nobiles æquiparetur vitæ, & præferatur rebus temporalibus. 4. Vir nobilis, aut miles, cui probrosum est fugere, si injuriosè percutiatur, licitè occidit aggressorem præcisè ob defensionem honoris, alio modo non conservabilis: ergo & provocatus potest acceptare duellum ad defendendum honorem, cum provocans sit aggressor in honore, aliter non conservabilis.

R. ad I. *dist. Antec.* Audies timidus &c. apud quosdam malè sanos, perversos, & depravatæ mentis homines. *transseat.* apud cordatos, prudentes, probos. *N. Ant. & conf.* Dein etsi totus mundus te haberet pro ignavo &c. tamen ob punctum honoris non liceret suscipere duellum, ut probant adductæ rationes, cum sit intrinsecè malum, nisi DEUS dederit potestatem, quam in his circumstantiis nullatenus concedit. Quæso te, si commilitones tui, vel omnes homines dicerent: si non furaberis, si adulterium non committes, si parentem tuum non occides &c. habebimus te pro fungo, homine ignavo &c. an putas id tibi propterea licere? Denique jam audisti, quòd duellum suscipere non sit remedium idoneum ad tuendum honorem; uti & nec necessarium, quia eum alio modo utiliori tueri potes, dicendo v. g. ad provocantem: *non recuso duellum, quia te, sed quia DEUM timeo, & crimen, quod me redderet legum Divinarum & Humanarum transgressorem, vitæ temporalis simul ac aternæ, imò & veri honoris prodigum, carnifici, si vincerem, obnoxium, vel exulem, aut,*

*si vincerer, diaboli prædam, ac æternè miseram. Interim si per tuam malitiam, quod non nisi profligatissimi, desperatissimi, ac insani faciunt, me invaderis, invenies me cordatum & virum fortem.*

Ad 2. Hujusmodi protestatio, primùm adducta, certè proderit ad conservandum honorem apud homines prudentes, aliorum autem judicia curare non debes in re tali, ubi de vita & salute tua agitur. Si tamen nec ista proficeret, & à provocantis petulantia te non liberaret, accede Superiorem, cujus est effrænem ac puerilem malè feriatorum hominum insolentiam comescere. Si neque hinc auxilium inveneris, provoca ad supremum Principem, qui haud dubiè, uti tenetur, te & honorem tuum defensabit. Si demum & hoc frustra tentares, pati potiùs deberes ad tempus injuriam, quam illicitum, & nihil profuturum, remedium arripere.

Ad 3. *N. Conf.* quamvis enim honor & vita quoad æstimabilitatem æquiparentur, non tamen æquiparantur quoad conservationem, quia honor alii modis conservari, & amissus reparari potest. Propter res temporales solùm tunc licebit duellum, quando ex una parte aliter conservari nequeunt, & ex altera spes victoriæ apparet; quia tunc periculum incertum ad evitandam certam jacturam gravem non imprudenter acceptatur, & malum minus præfertur majori. Honor non defenditur duellando, atque alio modo defendi potest.

Ad 4. *Transf. Antec.* si servetur moderamen inculpate tutelæ. *N. Conf.* Cùm honor contra provocantem ad duellum aliter sit conservabilis, & per acceptationem duelli ne quidem defendatur.

¶ Dico 3. Probabiliter tamen licitum est duellum,

ellum, quod quis non præcisè ad declinandam ignominiam, sed etiam ad conservandum officium ad suam & familiæ sustentationem necessarium, quod aliàs certò amittit (v. g. si sub vel penes Officialem Militarem nemo amplius faciat officia militaria, nisi suscipiat duellum) acceptat, vel etiam offert, modò alia ipsi via efficax non supersit conservandi se in officio, etiam per recursum ad Supremum Principem, & modò habeat probabilem victoriæ spem. P. Seybold in *Dicaomachia* p. 2. sect. 4. §. 1. n. 14. seqq. citans Less. Laym. P. Wiestner, & P. Reiffenstuel *h. t. n. 31.* accessit nuper P. Ad. Huth me citato *ad h. t. q. 2. Resp. 3.* imò omnes pro hac doctrina allegari posse videntur, quotquot duellum permittunt ob necessariam defensionem rerum temporalium magni momenti, qui sunt plurimi. Ratio est, quia in tali casu acceptatio, vel oblatio duelli est omnino necessaria, consequenter licita defensio contra iniquum aggressorem non modò famæ ac honoris, sed in consequentiam etiam bonorum fortunæ, ad se ac suos alendos necessariorum, & sic æquivalenter etiam vitæ. Dein talis minus malum majori, & periculum dubium certæ officii ac indè dependentium bonorum jacturæ præfert; cum utrumque malum evitare nequeat; quod est secundum regulas Prudentiæ, consequenter licitum.

Dico 4. Pœnæ illiciti duelli, sed solennis tantum, statuta in Concil. Trid. §. 25. c. 19. de ref. sunt sequentes. I. Excommunicatio latæ sententiæ in ipsos duellantes, paternos, subsidium vel favorem præbentes, & dominos temporales, duelli locum seu *campum francum* concedentes, imò

Rr 5

&amp;

& in spectatores 2. Proscriptio omnium bonorum cum perpetua infamia in ipsos duellantes, & paternos. 3. Amissio jurisdictionis ac domini, quod habuerunt Domini temporales in loco, ubi duellum permiserint, si illum locum ab Ecclesia, vel in feudum obtinuerunt. 4. Privatio sepulture Ecclesiasticæ in eos, qui *in conflictu* seu in ipsa arena decesserint, licet dederint signa Pœnitentiæ, ut declarat Rituale Romanum; si tamen ante obitum confessi & sacramentaliter absoluti essent, probabilius gauderent sacrâ sepulturâ. Quavis autem posteriores Pontifices dictas pœnas exasperaverint, & aliqui etiam ad duella privata extenderint, atque excommunicationem Sedi Apostolicæ reservaverint, eorum tamen Constitutiones in Germania non videntur esse in usum deductæ ob defectum vel debitæ promulgationis, vel sufficientis acceptationis, ut cum Laym. notant Mendo, Gobat, Pirhing &c. sicut etiam ipsum Tridentinum quoad pœnas temporales proscriptio- nis bonorum, infamiæ, privationis juris- dictionis in his partibus receptum non esse multi existimant. Quin verò quoad excommunicatio- nem, & privationem sepulture, etiam ex pri- vatis duellis incurrendam, & Trident. & Constat. Gregor. XIII. recepta sint usu in Germania, nemo est, qui dubitet, ait P. Reiffenstuel *h. t. n. 42*. Circa *spectatores* duelli, solennis saltem, adhuc notandum, eos solùm tunc excommunicari, quando *ex composito*, & *de industria* spectant, & sic quasi approbant duellum, & suâ præsentia as- sumunt duellantes, uti Greg. XIII. & Clem. VIII. ex- plicant Tridentinum. Demum Clerici duellantes

præter

præter pœnas omnibus communes incurrunt de-  
positionem. *c. 1. h. t.* seu suspensionem ferendæ  
sententiæ; item privationem Beneficiorum, & in-  
habilitatem ad illa. Pius V. *in Const. Ea, quæ.*  
*anno 1560.* editâ.

## TITULUS XV.

## De Sagittariis.

## SUMMARIUM.

1. Sagittarii, Ballistarii, Tormentarii qui.
2. An suam artem licitè exercent.

**S**agittarii olim dicebantur, qui ex arcubus  
plures simul & semel sagittas, & Ballistarii,  
quorum in *h. t.* etiam fit mentio, qui ex bal-  
listis seu catapultis saxa in hostem dextrè nove-  
rant jâcere cum strage plurium simul & semel,  
vel etiam mœnium. Hodie, cùm Arcus & antiqui  
moris Ballistæ in defuetudinem abierint, per ejus-  
modi genus hominum venire possunt Tormenta-  
rii, seu qui ex Tormentis, Stuck/ & Mortariis bel-  
licis, Mörse/n/ glandes, globos plumbeos, pilas  
ferreas vel lapideas, quibus longè major strages  
editur, quam illis machinis, in hostes hostiùmque  
urbes ejaculandi artem sciunt, & exercent.

Dico. Quamvis olim in *c. un. h. t.* prohibitum  
fuerit illam mortiferam Sagittariorum & Balli-  
stiariorum artem exercere adversùs Christianos &  
Catholicos; hodie tamen permissum est exerce-  
re artem Tormentariam etiam contra Christianos  
& Catholicos in bello justo. *arg. can. 2. caus. 23. q.*

2. id quod confirmat praxis tolerata. Illicitum  
tamen